

bý ad mensam dominarum vnum attungum in østbý sicut prius. Dimidium attungum dederam eis in thiust in villa que dicitur swenrum. Jtem eisdem assigno scrinium argenteum cum crucifixo desuper aureo & pixidem vnam argenteam. Loco autem ubi sepulta fuero confero turribulum argenteum. & ýmaginem beate virginis eburneam. & ýmaginem beati kanuti de dente cetino facta cum pixide argentea sancti michaelis quam monachis de aluastro prius promisi. & ampullam vnam argenteam ad illam quam prius *comiserim* eisdem. Jtem monialibus de sco. confero casulam de baldakino cum alba & superhumerali & stolam & manipulum de lýdewef, & duas ampullas argenteas Jtem fratribus de insula predicatoribus preter alia prius posita do pixidem beati Michaelis argenteam cum ýmagine beati *michaelis* desuper aurea. & duas ampullas argenteas quarum *alteram* habent, Christine parue do psalterium meum si vixerit post obitum meum *si non autem* habeat domina helena de sco holmgeri relicta. Ceterum istis confero libertatem Margarete & ragnildi de thýpt, Mannonj swenonj. Erngundi. Erico Hermundo de landasio Jtem filiis siggonis longi johanni & ragwaldo. Jtem notifico omnibus liberos esse havardum swenonem & ceciliam.

På frånsidan: Domine christine de landasyo; särskilt: de hagaby.

Sigillen: N:o 1 bortfallet; 2 ett stycke kvar.

856.

1258—1282.

CHRISTINA FASTES dotters Tillägg till sitt testamente rörande anslag af 5 tunnor spanmål årligen till syslomannen i Alvastra kloster för förböner, som för henne på bestämd tid skola hållas.

A. 3. v. 5: 1.

Omnibus presentes litteras inspecturis, Cristina fastonis quondam filia salutem in domino sempiternam, Cum instabilis sit humana memoria & defectus multiplices paciatur, competenter sollercia sapientum prouidit, ea litteris commendare, que conueniunt in futurum memoriter retineri. Hinc est quod vniuersorum noticie presentibus volumus intimari, me talem pactionem cum domino Johanne abbate aluastri presentibus monachis suis fratribus olauo cellerario, alexandro, & holmgero eiusdem domus, fecisse, Quod propter bona que prefate domui in meorum remissionem contuli peccatorum, cellerarius quilibet alter post alterum sexdecim thynnones annone annuatim de communitate accipiet pro pitancia singulis annis, in mei memoria, secunda feria post dominicam sancte trinitatis, qua misse dicende sunt, vt in testamento meo continetur, decentius facienda, quod tanto deuocius pro me preces suas altissimo deo persoluent, vt die eadem super victum consuetudinarium eiusdem gracia aliqua in mei memoria erogetur, Sed quia mortalium facta, ut

supradiximus, obliuionis iacturam frequenter senciunt, nisi munimentis litterarum alligentur, idcirco presentem cum siggilli mei, vna cum siggillo supradicti domini Jo. abbatis, munimine duxi roborandam ne supra pactione premissi possit aliquatenus in posterum dubitari valete in domino.

På frånsidan: Domine christine de landasyo.

Sigillen hängande på hvita linnetrådar: N:o 1 Biskop HENRICKS i Linköping; 2 bortfallet; 3 Abbot Johannis i Alvastra; 4 Christine (ett blomsterstånd, med lemningen . . .E: DNI: F. FILIE† af omskriften); alla något skadade.

857.

1262 d. 28 Maj.

Böringe.

Fru ESTRID NILSDOTTERS Testamente af sina gods i Skåne m. m. till Böringe m. fl. kloster.

L. 10: 978.

In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Ego Estridis filia Domini Nicolai filii Alexandri, presentis vite ambigue et mortis affuture inambigue non immemor, liberam mearum disponendarum rerum habens potestatem, nulla urgente egritudine, sed de bona voluntate et plena prehabita deliberatione testamentum meum condidi in hunc modum. In primis igitur, ad Dei et beate Marie virginis honorem, ac meorum peccaminum remissionem, contuli et scotavi in die sancte Pentecostes coram clericis et laicis, qui ibidem aderant, omnia bona mea, que in Scania possedi, in domibus, in terris et nemoribus, Claustro sanctimonialium in Byrthingi, insuper in Selandia Salby et Asum cum omnibus suis attinentiis ibidem contuli perfecte et donavi. Preterea Kalslunde et Göterleuæ, que in Selandia possedi, cum omnibus suis attinentiis contuli et scotavi Claustro dominarum sancte Clare Roskildis, sub hac forma, ut ex eisdem bonis solvantur ducente marce denariorum, que locis relligiosis, hospitalibus, et ecclesiis, secundum dispositionem dilecti cognati mei fratris Astradi, de ordine fratrum minorum, distribuantur. Istis autem rite ordinatis, vovi et in continenti reddidi me ipsam Claustro sanctimonialium in Byrthingi, qvamdium superstes sum, Deo et beate Marie virgini servituram, habitum secularem coram omnibus deponendo, et habitum Sancti Benedicti induendo. Executores autem presentis facti mei et testamenti ordinavi Dominum Jacobum Archiepiscopum Lundensem, et Dominum Erlandum ejusdem loci Archidiaconum, et Dominum Nicolaum Öndæsun, supplicans eisdem in domino, quatenus viriliter et veraciter se intromittant, ut hec presens donatio mea, seposita omni contradictione, possit stare firmiter et teneri, quorum etiam sigillis deliberavi et elegi presentem paginam consignari. Rogo autem omnes et singulos, quod huic donationi mee sint favorabiles et benigni, qvod possit vim roboris et firmitatis obtinere.